



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 40. Petrus Apamiensis accusatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Sæculum VI.
A.C. 518. tunc necdum fuisse delatum. Huic Epistolæ Presbyteri quatuordecim, Diaconi, alique Clerici Ecclesiæ Antiochenæ, & duodecim Monachi, singuli ex diversis Monasteriis, subscripserunt.

§. XL.

Petrus Apamiensis accusatur.

p. 215. Episcopi secundæ Syriæ quoque datis ad Joannem Patriarcham & Concilium Constantinopolitanum Epistolis Severum & Petrum Episcopum Apamiensem accusarunt, referentes, se utrumque anathematizasse, deposuisse, & excommunicasse, & rogantes, ut ab hac vexatione Auctoritate Imperatoris liberarentur. Huic Epistolæ subscripserant Episcopi plures; sed quinque, non plura, eorum Nomina leguntur. Ut demonstrarent, Petri Apamiensis crimina vera esse, Acta Judicialia coram Comite Joanne illius Provinciæ Rectore contra ipsum conscripta Constantinopolim miserunt. In iis Testimonio aliquorum Presbyterorum aliorumque Clericorum Ecclesiæ Apamiensis probantur facta sequentia: *p. 219.* *Rufino Ecclesiæ Apamiensis æconomo defuncto, Petrus Episcopus convocatis omnibus Clericis jussit, ut singuli coram Deo edicerent, an scirent, ipsum Ministerii sui tempore Ecclesiæ alicujus damni*

damni causam fuisse. Antonius Presbyter exposuit non nullos articulos, ex quibus damnum maximæ pecuniarum summa conficiebatur. Post longam Partium contentionem Episcopus Rufini Hæredes compulit, ut transfigerent, & trecentos aureos solidos dare promitterent, addiditque Anathema contra illos, qui Pactum istud violarent, etiamsi resuscitatus, S. Paulus, veniret, & in Sede illa Episcopali acquiesceret. Nihilominus hujus suæ execrationis immemor Episcopus transactionem fregit, & a Joanne Rufini Hærede Chirographum exegit, quo quinquaginta solidos aureos insuper daturum se spondebat.

Sabbato sancto cum solitæ Cæremonia in Baptisterio Ecclesiæ Virginis peragerentur, & Catechumeni jam vestes, & calceamenta deposuissent, Diaconis super eos Exorcismos pronunciantibus, superveniens Petrus Episcopus omnes exire iussit, ut introduceret fæminam, cui nomen Maria Emesena, quæ in Theatris Mimam egerat, & se Sanctimoniam dicebat, revera autem nec baptizata nec Catechumena erat. Ibi Petrus solus cum sola Petrus Ap-
mientis. fuit per aliquot horas, sæpiusque eam hoc modo in Baptisterium duxit ablato etiam p. 231. a Sacris fontibus operculo. In Festo Epiphaniæ, omnibus Clericis in aulam secretiorem convocatis dixit Episcopus ad
Julia-

Sæculum VI.
A.C 518.

Sæculum VI. *Julianum Diaconum: quare Concilium*
A. C. 518. *sexcentorum triginta Episcoporum non*
anathematizas? nempe Concilium Calce-
donense. Julianus respondit: quia Im-
perator Catholicus est, sequor Principis
Fidem, & anathematizo illos, qui Conci-
lium anathematizant. His Petrus E-
piscopus furore incensus & e Sede sua
exiliens, Julianum a functionibus Ordinis
sui suspendit. Hæc facta in Actis con-
tra Petrum Apamiensem irrefragabilibus
argumentis demonstrabantur.

p. 222.

Dial. Rust.
Diac. in fin.
Bibl. P. P.
Paris. to. 4.
 p. 1047.

Plura alia leguntur in Clericorum Apamiensium libello, qui totius accusationis & sequentis Judicii fundamentum fuit. Dumque afferunt factum Mariæ Emesenæ spretis Catechumenis in Baptisterium introductæ, utuntur his verbis memorabilibus: *Omnes, qui Sacris*
Mysteriis inicianur, sciunt, si Deum a-
mant, quam Sacro timore horrescant,
dum S. Baptismo proximi sunt, dum Lux
vere illustrare incipit animas ipsorum,
& a dura Servitute Dæmonis liberantur.
Totus corporis habitus affectum animi
indicat; stant demissis in terram oculis,
junctis manibus, trementes, & adversus
artes Dæmonis pugnantes, cupiunt per
Baptismum in perpetuum liberari. Eodem
 tempore multæ aliæ Ecclesiæ Concilii Calcedonensis Auctoritatem receperunt, atque Justino Imperatore regnante fer-
 me

me duo millia Episcoporum, & quingen- Sæculum VI.
A. C. 518.
ti, qui datis Epistolis illud Concilium con-
firmarunt, numerabantur.

§. XLI.

*Legatio Romana tertia Constanti-
nopolim.*

Maximæ molis erat Negotium recon-
ciliationis Ecclesiæ Constantinopo-
litanae cum Romana, a qua annis triginta
quatuor fuerat separata. Ut concor- to. 4. Conc.
p. 1469.
diam reduceret, jam antea Justinus Im-
perator Hormisdam Papam certio-
reddiderat, se fuisse electum, datis lit-
teris prima Aug. 518. rogans, ut Pacis
desiderio, quo Joannes Constantinopoli-
tanus aliique Episcopi tenerentur, fave-
ret, mitteretque Episcopos, viros tantæ
Rei perficiendæ pares. Joannes Patriar-
cha in sua Epistola, quæ Cæsaris Episto-
læ juncta erat, profitebatur, se quatuor
Concilia Universalia recipere, & S. Leo-
nis atque Hormisdæ Nomina Diptychis
fuisse inserta. Justinianus Comes quo- p. 1472.
que eadem mente ad Papam scripsit, di-
cens, nullum jam superesse obstaculum
quam lis de Acacii Nomine. Justinia-
nus Imperatoris ex Vigilantia Sorore
Nepos maxima Auctoritate in aula va-
lebat. Has Epistolas vigesima Dec. e- Lib. Pont.
in Hormis.
jusdem anni 518. Gratus Consistorii Co-
mes

Hist. Eccles. Tom. VII. Y mes